PEPLVS.

ILLVSTRISSIMI VIRI D. PHILIPPI SIDNAEI SVPREMIS HONORIBVS DICATVS.



Αἰεὶ τοῦτο Διὸς κούραις μέλει, αἰὲν ἀοιδοῖς,
Ὑμνεῖν ἀθανάτους, ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν.

DIGNVM LAVDE VIRVM MVSA VETAT MORI.

OXONII,
Excudebat Iosephus Barnesius, Anno ſalutis humanæ 1587.

W: Herbert.

EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. HENRICO HERBERTO, PENBROCHIAE COMITI, CARDIDIAE, *MARMIONII, SANCTIQVE QVINTINI DESPOTÆ, CAMBRIÆ PRÆSIDI, ET AVREAE PERISCELIDIS EQVITI:* IOANNES LVIDVS S. D.


VANTA DIVINI illius Philippi Sidnæi, tuæ, Excellentiſsime Comes, vxoris, Illuſtriſsimæ feminæ, fratris germani; morum autem ſimilitudine, tui; virtus ac præſtantia fuerit: ſumma omnium dum viueret, admiratio teſtabatur; & triſtiſsimum iam mortui deſiderium declarat cumulatiſsimè. Inter quos, ne noſtrum officium, ſi nullum appareret, nullum eſſe videretur: aliquod Pietatis noſtræ monumentum (.... quod ô patrima Virgo, Plus vno maneat perenne ſeclo) extare voluimus. Ariſtoteles, vir in omni literarum genere ſummus, tot ſeculis elapſis, Peplum ſuum in

virorum fortium, qui ad Troiam ceciderāt, laudes, edere non dubitauit. A nobis itidem, haud impari conatu, maiore certè studio, Peplum, supremis incomparabilis Herôis honoribus anno vertente consecratum, texi; quis, nisi ab omni iudicio ac ratione inops, vitio vertet? Quem arctiore beneuolētia, quòd & Philippi tui laudes contineat, & à Noui Collegij alumnis, cuius tu olim Collegij alumnus quoq; fuisti, proficiscatur; te complexurum confidimus. Vale. Oxonij. E Collegio Nouo. VII. KL. Septemb. CIↃ IↃ XXCVII.

AD LECTORES.

SACRÂ Deûm canimus; linguis animisque fauete:
Sit procul omne nefas, candida turba veni.
Candida turba veni Musis & Apolline digna,
Et superent niueas candida corda stolas.
Ecce chorus Phœbi mœstus longo ordine prodit,
Damnatus votis, Diue Philippe, tuis.
E calathis spargit canentia lilia plenis,
Veris purpureas officiosus opes.
Si qua tuum tangant furuiua piacula pectus,
Sacra fuge; impuro non adeunda pede.
Quisquis es, horrendam patieris numinis iram;
Exsoluent sacrum februa nulla caput.
Haud iniussa canunt diuino pectore Vates:
Baccare munitas, liuide, carpe comas.

PEPLVS,



PEPLVS, D. PHILIPPI SIDNÆI SVPREMIS HONORIBVS DICATVS.

D. PHILIPPI *ARA.*

ΒΩΜΟΝ ΒΛΕΓΕΙΣ ΦΙΛΙΓΓΟΥ.
ΤΙ ΣΟΥ ΠΛΕΟΝ ΛΑΛΗΣΩ;
ΕΤΕΥΞΕ ΠΑΛΛΑΣ, ΑΣΠΕΤΟΝ ΦΡΕΝΙ
ΕΛΟΥΣΑ ΓΕΝΘΟΣ, ΕΓΧΟΣ, ΑΙΓΙΔΑ
ΡΙΨΑΣ', ΑΡΗΟΣ ΕΡΓΑ ΔΥΣΦΡΟΝΑ
ΛΙΠΟΙΣΑ ΜΑΙΝΟΛΩ, ΜΙΑΙΦΡΟΝΩ.
ΕΡΑΣΜΙΗ ΚΥΘΗΡΗ
ΙΔΟΙΣ' ΑΔΩΝΙΝ ΑΛΛΟΝ,
ΑΔΩΝΙΣΤΕΡΟΝ ΑΛΛΟΝ,
ΑΝΑΞΙΩι, ΔΑΜΕΝΤΑ
ΜΟΡΩι, ΒΕΛΕΙ ΑΡΗΟΣ·
ΩΣ ΑΙΛΙΝΟΝ ΣΤΕΝΑΞΕ,
ΘΑΛΕΡΟΝ ΧΕΟΙΣΑ ΔΑΚΡΥ,
ΘΕΟΝ ΟΒΡΙΜΟΝ ΣΤΥΓΟΙΣΑ.
ΚΟΤΩι ΖΕΟΙΣ' ΑΝΗΡΓΑΣΕΝ ΤΑ
ΡΙΠΕΝΤΑ ΠΑΛΛΑΣ ΟΠΛΑ ΧΕΙΡΙ,
ΒΦΗΥ·, ΙΒΗΡΙΚΩΝ ΑΩΤΑ
ΦΩΤΩΝ ΘΥΗ ΠΡΕΠΟΝΤΑ ΔΩΣΕΙ
ΧΥΔΑΙΟΝ ΑΙΜ' ΑΡΗΣ ΑΦΥΞΕΙ,

DEVM virûmq; præpotens sator, throno
Ab eminente, fulgido poli loco,
In ALBIONIS extimæ tuens plagam;
(Maris sitam vltimi vltimo sinu, viris
Sed inclytis domi forisq; principem:)
Decore splendido atque amabili videt
Simillimum omnia astrico suo choro.
Suum perustus illico cupidine
Cor anxium noua, frui cupit nimis.
Et ipse ciuis esse cogitat soli,
Relicto Olympico throno & choro simul.
Placetq; amœnitas beata maximè
Deis nec optimis pudendæ, Insulæ:
Pijssimi incolæqué, deditissimi
Sacris Deorum, & æquitatis æmuli:
Regensqué VIRGO; regio sedens throno,
Solo poloque digna quę gerat manu
Potente quidquid imperi esse perenniter.
Sed vt sagaciùs volutat omnia,
Decusqué mentis optimę aspicit stupens:
Ad ætheris cacumina ardui vehi
Placet, beata cælitum sedilia:
Vbi assidente gaudeat Deus Deo,
Et expetita detur ora perpetim
Tueri, & oris aureo frui sono.
Apex vt omnis afforet boni bono,
Nihilqué deforet decens vel vtile.
Suam BRITANNIAM quiete floridam
Vacare bellicis tumultibus videt:
At impio perire Marte BELGICAS
Opes, IBERICA manu & dolo obrutas.
Quibus mederi, AVVNCVLO inclyto auspice,
Parat: celerrimequé dissipans moras,
Ad arma feruidus fremensqué prosilit.
Leuatur horridæ necis metu horrido
BATAVVS; incipitqué pristinus vigor

Redire cordibus trementibus recèns.
Cadit superbus hostis, atque manibus
IBERICIS leuis gemit celox, Charon
Nec ipse sufficit, labore torridus.
Adit Iouem cito gradu, prece anxia
Adulter ille bellicus, suo agmini
Opem ruenti ab optimo petens Patre.
Salutis ergô venimus, Deûm parens:
Satis cadauerum, satis. Tuum & potes
Genus manu lacessere haud tua? Viri
Fugas potentia é throno suo Deum?
Honoribusqué debitis miserrimus
Carebit ille solus, idqué turpiter?
Magis magisqué Iuppiter cupidine
Calet flagratqué percitus noua: nihil
Deesse sentiens viro, nisi in poli
Vt arce proximo fiet loco sibi,
Quod impotentiùs cupiuerat diu:
Inire gratiam paratus, obsequi
Suis amoribus paratior, preces
Libente perbibit Dei aure turbidi.
Aitqué, Quod petis, leue est: adorea
Beare prospera, vt queas tuos, dabo.
Nec vmquam erit (fidem obligat Stygis palus)
Homuncionis vt potentiâ decus
Queraris atque numen opprimi tuum.
Ouans recessit ille: ne pigro pede
Amata castra pertigit. Quæ aënea
Boatione concitat, ferum tonans:
Ad arma, Martium genus, potimini,
Potimini: cadunt: ad arma: concidunt.
Vtrinque vis furit: niuis modo cadunt.
IBERICVS Deus recondito in specu
(Fugæ suæ memor,) dolos struens latet.
Metentem IBERICOS potente dextera
Duces vt intuetur: aggredi palam

Timens, tonante miſſili petit ferus.
Dieſpiter dolore ſaucius graui,
Apollinem vocat, iubetqué vulneri
Opem ferat celer, dolore liberet
PHILIPPVM, & eximat, quod ætheris ſolet
Propaginem grauare labe terrea,
Reduxqué, præſtet aſtrici ducis vicem.
Patris capeſſit ille iuſſa maximi.
Edax medente toxicum fugit Deo.
Dolor recedit omnis, omnis auolat
Acerbitas, & ægritudo corporis.
Repens adeſt vigor. Comes ducem premit.
Grauiſsimus BRITANNICAM manum occupat
Dolor, ratos periſſe nobilem Ducem.
Catus nepos Atlantis é polo volat,
(Malis prementibus leuamen vt ferat,
Statuminetqué corda nuncio bono,)
Et os ſimillimus SESILLIO & ſonum:
LECESTRIVM-qué ſplendido petens gradu,
Ita infit: Amoue oris iſta nubila,
Serenus hiſpidum exigat foras color.
Periſſe quem putatis hoſtica manu
Opinionis inſciæ cito impetu:
Beatiore ſorte cælitum fruens,
Ioui ille proximo ſedet throno Deus.
IBERICVM genus, quod exſcidit ferè
Breui, ſuperſtes, orat, vt, memor ſui,
Neci vouere viribus BRITANNICIS
(Fauebit ipſe Iupiter) ferox velis.
Abit Deus. LECESTRIVS ratum id cupit.

VISA tibi magni ſi non ſunt ora PHILIPPI,
Lumina Phœbea ſplendidiora face:
Scilicet in cæcis latuiſti talpa cauernis,
Nec lux eſt oculis vlla notata tuis.

Et,

Et, si visa, minus placuit pulcherrima forma,
Cumanum prodis bellua lenta genus.
Funera qui siccis spectasti durus ocellis,
Aridus in rigido stat tibi corde silex.
Aspera qui teneris deflesti fata querelis,
Et fuit é tantis gutta relicta malis:
Faucibus immensis Neptunia regna bibisti,
Aut Deus es, nostra conditione procul.

IOANNES LVIDVS.

CVM galeam capiti, quamuis inuita, dedisset,
Armaqué iam nullis surripienda dolis,
Flesse quidem Andromachen, sed præ mœrore tacentem
Ante pedes sponsi nil nisi flesse ferunt.
At mihi diducto tellus priùs ore dehiscat,
Aut rapido subiti fulminis igne cremer,
Quàm lacrymis ego cara tuis & fletibus, vxor,
Tum mihi, tum patriæ subtrahar, Hector ait.
Non hoc Astyanax, rutili mihi sideris instar,
Non suadere parens ille vel illa potest.
Tu quoque, qui causa non inferiore peristi,
Et pia non vllo bella vetante Deo:
Cui pater Elysias inter felicior vmbras,
Et comes exstincto mater amata patri:
Hoc sibi vel solo minùs immatura putarunt
Fata, quòd ante tuos occubuere rogos.
Cui licet Astyanax nullus, tamen vnica bello
Filia ab incepto quæ reuocaret, erat.
Illa, qua Priami nurus haud formosior vlla est,
Hæc poteras, nupta te retinente, loqui.
Quæ si non fuerant tua, vir fortissime, verba,
At poterant animos ista decere tuos.

THOMAS YAYDENVS.

NON ego priscos celebrare versu
Conor heròas, nec ego Philippi
Aut Alexandri superantis, orno
Laude triumphos.
Ast ego nostri celebro PHILIPPVM
Temporis, clari sobolem parentis,
Qui fuit nostræ columen decusquè
Nobile gentis.
Corda prægrandis dolor occupauit
Nostra, cum primum retulit peremtum
Fama Sidnæum: *lacrymis obortis*
Fleuimus omnes.
Acriùs curæ lacrymæquè pungunt
Intus inclusæ: tacui, nec vllos
Edidi versus, neque præ dolore
Musa locuta est.
Nam grauis luctus citò non loquetur:
Scribimus serò, veniam precamur:
Nec tamen nostro minuentur atræ
Carmine curæ.
Flete Sidnæum *iuuenes peremtum,*
Flete sublatum pueri senesquè,
Vspiam si quæ lacrymæ supersunt,
Flete PHILIPPVM.

ANGLIA vel similem tibi si, SIDNÆE, tulisset,
Perferret mortem mitiùs illa tuam.
Vnus eras nostræ phœnix rarissima gentis,
Nemo tibi similis, nemo secundus erat.
Vnus eras nostro Phœbus clarissimus orbe,
Vnus eras patriæ lausquè decusque tuæ.
Te viuo totos securi viximus annos,
Sed non intrepidi te pereunte sumus.
Vix quisquam lapsis iam dat solatia rebus,
Nec retinet nostras anchora certa rates.

Cur

Cur temet dubiæ velles committere pugnæ? "
Quærebas Martis præmia, mortis habes. "
Vulnera pertulimus te non grauiora *Philippe*,
Damnaque per mortem multiplicata tuam.
Vnus erat toto lacrymarum vultus in orbe,
Quòd tuus é viuis cesserat antè pater.
Vix benè desierat vetus, vt nouus ingruit horror;
Dum flemus patris funera, natus obit.
Infœlix annus duo qui clarissima ademit
Lumina, vel medio lucidiora die.
Quorum fama tamen perfectaque gloria viuet,
Dum peragent cursus sidera clara suos.

QVI Sidnæe *tuum violauit vulnere corpus*,
Et cuius poteras saucius esse manu,
Vel pereat subitò traiectus corpora ferro,
Et Stygias adeat sanguinolentus aquas:
Vel longa tandem confectus tabe senescat,
Et mala perpessus plurima, plura ferat.
Terra suas fruges huic deneget, vnda liquores,
Corpora sint gelida frigidiora niue.
Aëre priuetur, nec cernat lumine lumen,
Omnibus & reliquis sensibus orbus eat.
Aut viuat miserè, nec sit miserabilis vlli,
Nec pereat, queat vt sæpe perire miser.

PRæproperè nimium rapuerunt fata *Philippum*,
Heu nimium nostris inuida fata bonis.
Maximus ille armis, & maximus artibus ille,
Summus vtrinque virum nobilitauit honos.
O vtinam lacrymis possem reuocare sepultum,
Quàm vellem faciles ad mea vota Deos.

IN duo Sidnæi *mutantur sidera bini,*
Sidereo aut saltem splendet vterque loco.
In terris multos poterant vixisse per annos,
Ad summos poterant serius ire Deos.
Vixit vterque parum nobis, sed vixit vterque
Sat sibi: sic pariter quo moriantur habent.
Fama sed in toto celeberrima peruolat orbe,
Et meritis neuter laudibus orbus erit.
Effera Sidnæum *celebrauit Hibernia patrem,*
Cognouit natum Belgica *terra ducem.*
Diuersos adiere locos natusqué paterqué:
Non vno capitur gloria tanta loco.

RICHARDVS SAVAGIVS.

VTRAQVE *Sidnæum* GERMANIA fleuit ademtum,
Et reges lacrymas non tenuere suas.
Sic tua & externis illuxit gloria terris,
Anglia splendorem nec capit vna tuum.
Ac velut Eois cum surgit Phœbus ab oris,
Hesperio fessos æquore tingit equos,
Cumqué suos primis tepefecerit ignibus Indos,
Diuersa occiduo sole tepescit humus:
Et veluti summo delapsus culmine montis
Multifluis latè Nilus inundat aquis:
Haud aliter vario positis sub sidere regnis,
Solis & irrigui fluminis instar eras.

AVDIO nescio quos nostris finemqué modumqué
Iudicio lacrymis imposuisse suo.
Cedite vecordes, ignari cedite rerum,
Sæpe solet medicam vincere morbus opem.
Duco perexiguos, quos leniat hora, dolores:
Non in tam leni sunt mala nostra gradu.

Secula

Sæcula Sidnæum *deflebunt sera peremtum,*
Tempore materiam suppeditante nouam.
Forsitan & posthac sic miles vterqué queretur,
Non hac, Sidnæo *sospite, contigerant.*

FERTVR Alexander, tumulo cùm astaret Achillis,
Præconem questus non habuisse parem.
Et certè fueras magno bene dignus Homero:
Iusta querela tua est, non tua sola tamen.
Namqué heros noster nec forti cessit Achilli
Marte, nec ingenio cessit, Vlysse, tuo.
Adde, triumphantes properasse libenter ad hostes,
Sponte sua & patrium deseruisse solum.
Nec, quò defugeret bellum, simulasse furorem,
Fœminæáue virum delituisse stola.
Præcipuum hoc, *Sidnæe,* tuum est: nec vendicat istis
Partem vllam in titulis ille vel ille sibi.
Et tibi erat tanto dignissima coniuge coniux,
Penelope cui non anteferenda foret.
Paruaqué gnata suum poterat retinere parentem,
Vna, & parua, patris talis egebat ope.
Nec fœcunda Ithace est, nec frugibus apta serendis,
Anglia Gargareis præstat opima iugis.
Et Phthio non est magnum dominarier agro,
Te dominum norant rura perampla suum.
Impetus hic in bella tuens torrentis ad-instar,
Obice qui opposito sæuior ire solet:
Impetus hic animæqué piæ mage prodigus ardor,
Alite Mæonio nobilitandus erat.
Attamen, vt verum fatear (tu parce fatenti)
Debueras nostro cautior esse bono.
Vtqué minus fortis, nobis magis vtilis esses:
Nonnullum virtus maxima crimen habet.
Solum hoc crimen habes, reliqua est sine crimine vita:
Pellæum peragunt crimina vera reum.

Sic nostro & minor est morum probitate *Philippo*;
Cætera sunt, regni demito sceptra, pares.

V*IRGINEVM mirer lugere Helicona* Philippum?
Ipse nec immeritó Iustiniane *gemas.*
Plangite Pierides sparsis circum ora capillis,
Hoc solo nixa est gloria vestra viro.
Si qua mouent vestras cognata pericula mentes,
Iam nec opes, nec dat Iustinianus *opem.*
Clamet ió lætum modó barbara turba triumphum,
Cæsarei perijt visqué vigorqué chori.
Nota loquor (veros & habent mea verba dolores)
Iustinianæos *vltimus inter ego.*

QVALIS eras primis, *Sidnæe*, agnouimus annis;
In puero summum sensimus esse virum.
Qui iuuenis, qui vir, tua quæ maturior ætas,
Heu nimium multis nota fuisse queror.
Vixisses vtinam multos longæuus in annos,
Fama senis Pylij non ita magna foret.
Fallor: erasqué senex, nec, quæ fert annus, egebas:
Inqué suo virtus culmine fixa stetit.
Nec grauior quisquam, nec te sapientior alter:
Sic annis animi non caruere tui.

HENRICVS MARTINIVS.

T*ANDEM orata, diu vix exorata Thalia,*
Iamqué satis rauco sollicitata sono:
Surda quidem semper, sed & hoc quoque tempore pauló
Surdior, ad nostras, quàm solet esse, preces,
Aduenit: & quamuis dea sit iuuenilibus annis,
Nec iuuenis tardo nec dea visa gradu.

Quærenti

Quærenti quæ causa moræ, nec ad hoc mihi promtè
Audit, & in gelida lumina figit humo.
Fare precor, dixi, si fas cognoscere, causam,
An quia non audis, an quia raucus ego?
An quia, quæ quondam tetigit vos gratia nostri,
Incipit in vestro vilior esse choro?
An Deus Harpocrates Pharia delapsus ab vrbe
Nunc Heliconiadas iure coërcet aquas?
Illa oculos ab humo paulatim erectã verendos,
Ah nihil istorum me retinebat, ait.
Sidnæus, Sidnæus. *& hoc bis nomine dicto*
Plura locuturæ comprimit ora dolor.
Mox vbi conualuit, Scio quid mediteris; & idem
Cur vocer, in causa est, curquè vocata morer.
Audiui, veniquè libens, tibi nota Thalia,
Sum tamen ex animi tarda dolore mei.
Quæsiturus eram, cùm narratura dolorem,
Tu tace, ait. Tacui. Sic prior illa refert.
Tu quoniam celebrare paras, ego flere, Philippum,
Et mea cum causa iuncta querela tua est:
Audi igitur nostramquè moram, mortemquè Philippi,
Quam quærendo petis, quamquè tacendo cupis.
Ille modò inuitis (ita se bene gesserat) Anglis,
Ipse nec inuitus, Belgica *regna petit.*
Atque vtinam studio coluisset bella minore,
Aut minus hoc vno bella gerenda loco.
Nec tamen inuideo laudem quamcumque Philippo,
Sed male quòd cedant optima facta, queror.
Hic igitur Flandris *nimium citò redditus oris,*
(Namquè breuem fecit, me comitante, viam)
Erigit alloquio iam penè emortua Belgis
Pectora, laturus postmodo rebus opem.
Ecce Dei Hispanus *veros vi tollere cultus*
Pugnat, vt hoc leue sit quòd vetet arua coli.
Non tulit oppressos virtus Sidneïa Flandros,
Non tulit hic spretos mens generosa Deos.

Induit

Induit arma Deo plenus, ſtudijqué tenaci
Me quoque præcipitem traxit in arma manu.
Hîc modò vibratas haſtas, modò plumbea furtim
Miror in incertam tela rotata necem.
Hîc bombarda tonat, ſera poſt vulnera voce,
Terret & ad Stygias quem modò miſit aquas.
Aſt illic ſubitò viſæ ſe attollere turres,
Quodqué fuit tellus antè, fit arte fretum.
Hîc facit ingentes in terram turba receſſus,
Inqué ſuum ſeſe protinus abdit opus.
His, puto, ſi vera eſt, onerata eſt Oſſa lacertis,
Hæc, puto, diuulſus brachia ſenſit Athos.
Hortatur comites Sidnæus *in hoſtica* Belgas,
Et docet exemplo vincere caſtra ſuo.
Sic pro Romana fertur pugnaſſe ſalute
Tuſco Tyndarides auxiliaris agro.
Non ego facta oculis dicam Sidnëia *noſtris*
Cognita, non mæſtis facta canenda modis.
Sed cadis, heu, Sidnæe, *cadis. Miracula nulla*
Terra tulit multos conſpicienda dies.
Impius ignauum prædo in te deſtinat ictum,
"*Cruſqué venenato figit equeſtre globo.*
At neque tu læſam ſentis, Fortiſſime, partem,
"*Nec tibi pars corpus creditur eſſe tui.*
Deſcenſurus equo, data tandem vulnera cernis,
"*Cùm negat officium pars tibi læſa ſuum.*
Cernis, & irato ſuſpiria pectore ducis,
"*Non quia pes tibi, ſed quòd pedis vſus abeſt.*
Deficeret corpus, gereres ſine corpore bellum,
Corpore ſi quiſquam militet abſque ſuo.
Quærebat ſibi virus edax in corpore vires,
Nec tabes medicam lenta ferebat opem.
Atque ita Sidnæus *tot noctes anxius egit,*
Quot tibi non ſimplex, Regule, pœna foret:
Cum Deus hunc vigilem ſeruatas linquere terras
Iuſſit, & æternum perpetuare diem.

Scilicet

Scilicet hunc rapitis super astra, nec amplius alter
Quem, Superi, terris inuideatis erit?
Tanti erat hunc vnum miseris donasse Camœnis,
Gaudia Pierij nec rapuisse chori?
Quis mihi Danubius miseræ satis ora rigabit,
Aut satis in lacrymas quis mihi Nilus erit?
At ferus ille mei Mars causa caputq́ doloris,
Hunc Parnassiacis egit in arma iugis.
Nec satis hoc fuerat, raptum quoq; luget ab armis,
Et partem luctus pugnat habere mei.
Sint lugenda licèt, recreant me fata Philippi,
Fata quòd Æmonij sint imitata ducis.
Missilibus telis transfixus vterq́; sed ille
In templo: hic, acie, cæsus: vterq́ dolo.
Viuit vterq́ tamen moriens: Heroïbus alter,
Alter Dijs superis iunctus, vterq; polo.
Quid quod Alexander Farnesius alter, & alter
Troïcus, occultam struxit vtrique necem.
Sed quid agis? Frustra quid fles ingrata Thalia?
Flebile Achilleo credis obire modo?
Marte obijt, decus est ipsi: clàm, dedecus hosti:
At iuuenis, iuuenis corpore, mente senex.
Ergo venenata perijt quia glande, dolebo:
An latet, ad cælos esse venena viam?
Trita via est, æuo saltem tritissima nostro:
Gallia Medeam, si dubitatur, habet.
Hoc, fatum est Troiæ fatis, occumbere fato:
Nec virtus nisi per virus obire potest.
Senserat Alcides, Alcidæ senserat hæres;
Sensit Phyllirides, Phylliridæqué puer.
Si, quæ Sidnæum, *non abstulit omnia nobis,*
Tristis & ex fastis eijcienda dies:
Si quid adhuc animi mihi restat, & vnica tantæ
Integra iacturæ mens superesse potes:
Mens age & Hispanos saltem aspice latu dolores,
Et minuant luctus hostica fata tuos.

Auguror en: dabitis pœnas Hispana iuuentus,
Et tu sub Parma dux male tecte tua.
Manibus innumeris Sidnæum *optabitis vnum*
A fatis redimi: nec redimendus erit.
Interea hunc titulum rapti super astra Philippi
Felix subiecto corpore marmor habe:
Qui iacet *hic, non ille iacet, sed ad astra volauit:*
Ista sequi vellet pars, nisi clauda foret.
Est bene quòd partem patriæ, Sidnæe, *relinquis,*
Vt neque totus abis, sic neque totus obis.

CELEBRATE funeratum
Hilares Deæ *Philippum.*
Videóne vos Camœnæ,
An iniqua fascinatis
Species obest ocellis?
Aganippides-né veræ,
Mihi numen expetitum?
Aganippidum-né talis
Lacerata turba crines,
Caperata turba frontem,
Oculos, genas, labella,
Misero rigata fletu,
Venit ad suos poëtas?
Aganippides profectò:
Nimium tamen seuera
Facie, sed vnde vobis
Nebulosa frons paternum
Didicit referre fulmen?
Vbi splendor ille vestri,
Vbi lux serena vultus,
Satis ausa prouocare
Veneremque Gratiasque,
Hyperionisque nato
Medio inuidenda cœlo?

C Ego

Ego me nitore tanto
Comitante, non grauarer
Stygijs datum tenebris.
Heliconios in agros
Ego vos ſequens, negarem
Rhodios vel eſſe ſolis
Radijs, vel eſſe famâ
Niſi mentiente, claros.
Nitor iſte quò receſsit,
Et amabilis venuſtas?
Redeat vetuſta forma,
Mihi grata, cariorque
Maris Indici profundo
Rutilantibus lapillis.
Remouete iam dolores,
Gemituſque pertinaces:
Satis eſt, ſatis, ſuperque
Cineri datum *Philippi*.
Lacrymis quouſque veſtris
Heliconis vnda notas
Superabit aucta ripas?
Sale fons coinquinatos
Latices, nec eliquatis
Niuibus, nec imbre factos
Stupet alueus tumores.
Stupet ecce fons, fugamque
Meditatur Hippocrene.
Moderatiore fletu
Nepheleïs expetita eſt,
Quoties opaca mater
Mare turbat, atque merſam,
Sua damna, quærit Hellen:
Freta cum Leander audax
Putat excitata ventis,
Lacrymis ſed illa creſcunt.
At vt huic nihil citato

Licet inuenire ponto,
Nisi triste nomen Helles:
Ita vos nihil, *Philippi*
Nisi nomen hoc in orbe,
Et in orbe nil celebre
Nisi nomen hoc *Philippi*,
Reperire fas putetis.
Aliud nihil Pelasgæ
Nisi te, *Philippe*, Musæ,
Aliud nihil Latinæ,
Nisi te, sonare norunt:
Latioque iam potita
Decus agri turba Tusci
Proprium silet Petrarcham,
Tibi carmen ore fundit.
Neque Galla, nec Britanna,
Nec Ibera siqua Clio est,
Alium virum canendum
Nisi te, *Philippe*, sumit.
Licèt hostis ipse, fusi
Sibi conscius cruoris,
Renuat, tuas vel aure
Bibit abnuente laudes.
Alemanicæ Camœnæ,
Facilesque iam Sycambræ,
Sibi militem ducemque
Doluere morte raptum.
Et Aramicam *Philippi*
Tetigere fata Musam:
Nisi forte Musa nulla est,
Quia Musa nota paucis.
Sed in his, *Philippe*, paucis
Quis inesse te vetabit?
Tibi nulla pars peractæ
Fuit vsitata vitæ.
Tua qui sequendo viui

Potuit referre facta;
Nimis ille, si quis ille est,
Ioue natus est secundo.
Tua qui cadendo in armis
Potuit referre fata;
Nimis ille (sed quis ille?)
Nimis ille nemo certé;
Nisi Iupiter sit ipse.
Celebrate funeratum
Nouies nouem Camœnæ.
Celebrate quotquot vsquam
Heliconidum sororum
Varias soletis artes
Varia docere voce.
Reticetis? impeditné
Dolor has, an ira, laudes?
Vetat ira: nam dolorem
Doluistis antè totum.
Nihil est quod antè fusis
Lacrymis quis alter addat
Gemitus: sed ira, Musæ,
Iubet ira vos tacere.
Scelus ecquod est Philippi,
Sibi quod priùs secundum
Rear excitare numen?
Scelus esset hoc putare.
Grauis at rapina, nuper
Fugientis hinc Philippi,
Tulit hinc in astra, quidquid
Helicon scientiarum
Peperit; suisqué Tempe
Vacua artibus reliquit.
Fruitur sed ille tantis
Opibus; colitqué cœlos
Spolijsqué tecta partis
Iouis ornat alta victor.

Pater annuit Deorum,
Neque lętior putatur
Statuisse, post Gygantes
Superûm labore cælos,
Medio tropæa cælo.
Inopes dolent receptum,
Et amant tamen receptum,
Superis Deæ *Philippum*.
Sed vt inuicem profari
Dolor, ira, amorque pugnant,
Faciunt silere mœstas
Dolor, ira, amorque Musas.
Mea quisquis (vt merentur)
Malè nata verba culpas,
Reticentibus memento
Domino excidisse Musis.

MORS grauis nimis, ah, nimis grauis mors,
Quæ cunctis animam suam Britannis
Rapis, totq; homines necas in vno:
Quod crudele satis, satisq; longum
Facto supplicium tuo precabor?
An, qua tu reliquis soles nocere
Morte, illam capiti tuo precabor?
Vt fiat tibi pœna talionis.
At mors non poterit nocere Morti,
Serpentem citiùs venena perdent.
Ergo (Dÿ iubeant valere vota)
Vitam perpetuam tibi precabor,
Vt sis ipsa tuæ molesta vitæ
Mors grauis nimis, ah, nimis grauis mors.

VT inexorabile texi
Vidit Tritonia fatum,

Neque Mauors, cætera discors,
Sed in hoc concordibus vno
Studijs, fera flectere posset
Auidarum corda sororum,
Fratrisque suasque Minerua
His verbis prodidit iras:
Solus-né Coronide natus
Superas reuocabit ad auras
Thesiden; solus Apollo
Immensos fata per annos
Poterit proferre Sibyllæ?
Igitur dea nulla Minerua est,
Et Mars sine numine nomen:
Et quisquam é plebe deinde est,
Qui nostris credulus aris
Imponet thuris honores?
Et quisquam credet habere
Diuinas carmina vires,
Aut fortis robora dextræ?
Noster iacet, ecce, *Philippus*,
Nec dos fugat vtraque mortem.
Neque sustinuere sorores
Dare tempora iusta senectæ,
Viridis sed fila iuuentæ
Placet immatura secari.
Sed & hoc fortasse verentur,
Ne, cum stata venerit hora,
Instantia fata repellat,
Qui tam iuuenilibus annis
Studet immortalia tantùm.
Properant quoque stamina Parcę,
Ne, si mora parua supersit,
Fatorum à legibus ipsam
Redimat virtute iuuentam.
Impunis cætera turba
Quæ sicut corpore curuo,

Ita ſpectat pectore terram,
Digitis, iam mente labante,
Tranſactos computat annos,
Primis neque rapta ſub auſis
Moritur lugenda propinquis:
Tu, cuius cœlica virtus
Ad lucida nititur aſtra,
Cadis immaturus, & in te
Miſeri ſpes occidit orbis.
At nil niſi corpus inique
Mors deletura *Philippi* es,
Pulchro adiungetur Olympo
Noſtri pars altera iuris.
Dixit Dea. at inuida Clotho
Fuſum aptat, & altera telam
Quærit, vix Atropos illam
Patitur ſua ducere fila,
Sed in ipſo ſtamina fuſo
Scelerato pollice rumpit.

COLLIS ô Heliconij
Cultor, ô modò Belgicæ
Grande militiæ decus,
Nunc poli rutilans iubar,
Gaudiumq́ Deorum,
An-né de ſupera vacat
Arce, funeris irritas
Cernere exſequias tui,
Ut locum lacrymis rigent
Myrrhiniſq́ ſuiſq́,
Nobilis procerum cohors,
Sordidaq́ Academia
Veſte? tu tamen omnium
Rides ſtultitiam piam,
Et ſtultam pietatem.

Aula

Aula quem pia Principis,
Quem parens Academia
Mortuum putat & gemit,
Non ibi positus iacet,
Sed cum Dijs agit æuum.
Luctus hic tibi cognitus
Antè, non animum mouet,
Videras quot amantibus
Funderent lacrymas genis,
Astra te petituro:
Hoc stupes tamen vnicum,
Quid velit sibi fæmina,
Quæ flet ad tumulum tuum,
Sic tumens, quasi viscera
Rumpi tota minentur:
Corpus est macie obsitum,
Recta nusquam acies stetit,
Carpit, ipsaq; carpitur,
Estq; supplicium suum,
Felle pectora squalent:
Vulgus Inuidiam vocat.
Non flet illa, quòd occidis
Morte, sed lacrymas ciet,
Quòd tam fortiter occidis
Morte non lacrymanda.

QVI iam fato meliore viges,
Acieq; vides præsente Deos,
Tætra mundi fæce solutus,
Pænè in primo limine vitæ,
Quemq; imprudens fecerat hostis
Terras supero mutare polo,
Si modò rursus patrijs esses
Redditus oris, rursusquè suo
Hæc gestiret terra *Philippo:*

Quid tibi tandem prius optares,
Quàm, si posses, occidere vt prius?
Si Nestoreos Dij tibi vellent
Iterum viuo donare dies,
Pro Nestoreis tu tamen annis
Toties peteres, vt prius, emori,
Quoties Pylius musta quotannis
Bibit autumno redeunte senex.
Si quid Superos velle putarem
Potius fieri quàm superos Deos,
Tecum rerer velle perisse
Funere parti nominis æmulos.
Hoc officium nunquam potuit
Pro Dardanidis præstare suis,
Cætera præstans omnia, Apollo:
Nec pro Troia sustinuit mori
Licèt *Æneæ* saucia mater.
Tam præclaro licèt inuideant
Numina facto, numina tale
Edere facinus natura vetat.

REDDITA cognato proles Sidneïa *cœlo,*
Quem tenet in vobis, Numina summa, locum?
An nouus in cœlo sidi cen stellisq; coruscus
Temperat Orpheæ fila canora lyræ?
An-nè, fatigato post tot modò secla Tonante,
Pro Ioue nec dextra debiliore tonat?
Sic licèt hic vates, quo nemo doctius ipsos
Detineat cithara carminibusque Deos:
Non tamen Ismario est dignus succedat vt Orpheo,
Et cui non primo sit lyra danda loco.
An iaciet fulmen? dilectas fulmine terras
Lædere tam mites non didicere manus.
At qui aliquod munus, Superi, præscribite: munus
Desidiam virtus nescia ferre, petit.

Spreta (videtis enim) Phœbeæ fræna senectæ
Igniferos ægrè iam moderantur equos.
Huic date soliferos currus, nec ab igne timete;
Nouit quas habeat terra polusq; vias.
Nec nouus hic fuerit Phœbus; *nam munera* Phœbi
Inter Castalias *gesserat antè Deas.*

THALIA debet omne, quod potest, bonum
Carmen *Philippo* soluere:
Nihil Thalia carminis boni potest;
Persoluit hoc totum Nihil.

IOANNES HOSCHINES.

Ecloga.

LYCIDAS.

Amyntas, Damœtas, pastores.

A. D*IC mihi,* Damœta, *cur turpi squalidus ore*
Incedas, dum tardo intras hæc pascua gressu?
Vel nunc interno mœrore liquescere, vel te
Non ita pridem aliquo confectum credo dolore.
D. *Heu,* LYCIDAE *nuper dolui de funere nostri.*
Eius (nam solitus cantantibus ille fauere,
Et colere innocuos pastores) eius honore
Cantando liceat longos nunc condere soles.
Tu simul, hîc viridi paulùm proiectus in herba
Collibus apricis dum grex spectandus oberrat,
Adsis ô nostri conatus testis Amynta.
Nunc tenui liceat modulari carmen auena,
Distulit hac noster quod dudum in tempora luctus.
A. *At primùm expedias, quid ineuitabile fatum*

Defleres? nec enim crudeli morte peremtus
Fit luctu aut lacrymis vmquam rediuiuus obortis.
D. *Quid facerē? cum tot flentes hominesq; deosq;*
Vndiq; conspicerem miser, & laté omnia circum
Tam cari capitis mœrorem regna sonarent:
Men' reticere vnum, & miseras cobibere querelas?
Formosum LYCIDAM *Charites, fleuere Napææ,*
Flestis Hamadryades, Dryadesq; & cærula Diua
Ad tantas liquidis lacrymas caput extulit vndis:
Deposito fleuit clypeo Mars dirus & hasta:
Vos etiam reliqui fleuistis Dijq; Deæq;,
Ante alias Musæ, tuq; ô Latonia proles.
Nam tuus inprimis LYCIDAS, *vesterqué Camænæ.*
Vidimus arentes propé, Phœbi munera, lauros,
Nec non, delicias Musarum, Helicona relictum.
Quin & erat tremulis lacrymarum cernere riuis
Sordidulas vndas Aganippidos Hippocrenes:
Permessumq; olido scimus stagnasse liquore.
Sic LYCIDA *Aonides languent moriente sorores,*
Illæ sic illum, sic ille amplexus & illas.
Has inter lacrymas, atque hæc incommoda fati
Tam subiti & duri, quid tandem noster Amyntas?
An segetis magno cumulatam fœnore terram
Et plenum siccis oculis lustrauit ouile?
Certê ego vix tristes etiamnum comprimo fletus,
Dum tam dulce decus pastorum obijsse recordor,
Atque alium LYCIDAM *spes nulla ostendat auenti.*
Nobis ille fuit, quod adustis frigus opacum,
Quod fessis requies, & quod sitientibus vnda.
A. *Flenda refers, fateor: nam vix gens Anglica talem*
Aut videt, aut sera posthac ætate videbit.
Flenda refers, nostro præsertim tempore flenda,
Quo dominantur opes & opum furiosa cupido,
Quo, nisi fortunæ donis ornemur amicæ,
Per campos syluasq; & deuia rura vagantes
Occinimus surdis, meritoqué caremus honore.

Nunc

Nunc igitur dolor est, non longos viuere in annos,
Qui faciles præbent pastorum cantibus aures.
Hinc & ego ingemui. Sed cùm nil posse dolorem,
Deberi fatis cùm summum quemlibet, & cum
Qua cælum LYCIDAS *penetrarit laude, subiret:*
Nec mora, Te, dixi, quid, Amynta, luctibus anges?
Tum me colligere, & tristissima pectora sensim
Erigere, & vanos depellere corde dolores.
Tu quoque, Damœta, *muliebrem tollito luctum,*
Tu quoque pasce greges lætus: læta, ecce, vireta,
Et tibi grata nouo gratissima veris honore.
Dulcibus, en, volucres mulcent concentibus auras,
Nec renouata tacent ipsæ sua gaudia syluæ:
Ecce choros ducit cum Nisa Mopsus *agrestes,*
Lætanturqué alij pariter, memores breuis æui.
Quid cessas? Agedum, mœstas depone querelas.
Da. *Ergo vale posthac luctus, lacrymæ ergo valete:*
Tu verò æternùm LYCIDA *pulcherrime salue,*
Æternumq́ vale. Te pascua nostra loquentur.
Nec te, dum Eois lux aurea surgit ab oris,
Hesperijs nec dum Phœbus mergetur in vndis,
Effluere ex animis patiemur: te quoq; nobis
Arcadio dulcis resonabit fistula cantu.

INSIGNIS pietas & ars, *Philippe,* "
Quæ, te stante, stetit, cadit cadente. "
Laus, quæ non aliquo iacebit æuo,
Et te stante stetit, stat & cadente. "

SIDNAEI *exsequias inepta nuper*
Vidit barbaries; & arbitrata
Hinc se non minimo loco futuram,
Subrisit: Quis enim mihi (inquit) hostis
Aut est, aut fuit, aut futurus æquè est?

ARguis excordes *Sidnæi* in funere Musas,
Et quereris nimium vocis habere tamen.
Quin mirare magis linguam sine corde loquentem,
Nam, cor Musarum dulce, *Philippus* obit.
Sed, ne mireris: nil dicunt, ecce, Camœnæ,
Ipsa Camœnarum lingua, *Philippus* obit.

IOANNES GIFFORDVS.

VANA quid Hispani celebratis gaudia ciues,
Hoc quasi sublato bella peracta forent?
Quæ cecidit bello, tantùm fuit vmbra Philippi:
Nescius ille sui funeris, astra colit.
Parcite, iam, non dico, virum, sed parcite numen
Intempestiuo sollicitare ioco.
Cuius enim in terris vobis fatalis, an eius
Non erit é supero sæuior ira polo?

SI, nisi quæ fuerit te gloria digna, *Philippe*,
Nulla futura tua est: nulla futura tua est.

ROBERTVS BILÆVS.

ADESTE hendecasyllabi vocanti,
Sidnæum *canite ô leues Camœnæ.*
Sidnæum *memori referte cantu*
Gratiæ, Veneres, Cupidinesquè,
Nec prorsus tacitis tegatur vmbris
Qui lumen fuerat decusquè vestrum.
Sidnæum *canite ô Minerua, Marsquè,*
Et quotquot validis præestis armis.
Vester ille fuit superstes, olim
Timendus gladio, timendus hasta,
Ad suprema animosus vsque fata.
Sed quò me rapitis leues Camœnæ,
Vt Martem numeris recorder istis?
Heroâ potius tuba canendum
Sidnæum *hendecasyllabi tacete.*

IOANNES HOLOVÆVS.

NVLLVM-ne tandem luctibus vestris modum "
Ponetis Angli? Numquid effuso genæ
Fletu madebunt semper? An nullus mali "
Huius dolorem tollet, aut minuet dies?
Res digna fletu scilicet longo, iacet "
Flos ille gentis Anglicæ, Hispanæ timor,
Ætatis huius splendor, & mundi decus
Sidnæus heros; candida notus fide, "
Virtute notus inclyta, magnus foris,
Domique longè maximus: vir, cui suas "
Artes Minerua dederat, & Mauors suas:
Qui laude nulla caruit: &, cum iam nihil "
Vltrà teneret terra, quod posset dare,
Solum reliquit, posset vt cœlo frui:
Rectaque superas tendit ad sedes via. "
Lugendus igitur, anne laudandus magis,
Cui tale letum, vita cui talis fuit? "

GVLIELMVS SVADDONVS.

GRÆCIA Barbariæ diuturno fracta duello
Nympham petebat Oebalin:
Græcia cùm nympham repetendo amisit Achillem,
Sæuum dolebat prælium.
Æaciden, quia fortis erat, lugebat ademtum,
Laudabilem hoc solum bono.
Et quoniam Telamoniades sibi Marte feroci
Amplam est adeptus lauream,
Dignum Marte virum virtutis nomine fleuit
Multis peremtum lacrymis.
Quid minor Atrides, nisi quod formosus, Vlysses
Facundus? Ambos Græcia
Ingemuit multo perfusos crimine, tantùm
Virtute ab vna nobiles.
Quas tandem fundet lacrymas, quos Anglia fletus, "
Quæ, nesciens fati sui, "

Fortem

Fortem, formosum, facundum amisit in vno?
Quæ, dum propinquis attulit
Belgis auxilium, patientibus omine tristi
Prædurum ab Hispano iugum,
Et studet exsilium Pietate auertere, Nympha
Præstantiore cæteris,
Quarum vel Græci, vel adorant numina Teucri:
Perpessa tandem est hoc malum.
Excellentem armis equitemq́; ducemq́; Philippum
Sidnæum, *& insignem toga*
Non minús, infausto cæsum desiderat ictu.
Lugendus hic est, patriæ
Luxqué decusqué suæ, quia non solùm occidit vnus
Bellator audax, cæterùm
Æacides, Telamoniades, Menelaus, Vlysses,
Omnes in hoc vno iacent.
Hic viuus patriæ felix, huic patria cæso
Apparet infelix nimis.
Cui quia vix totus similem tulit, aut feret orbis,
Testante tota Gallia,
Italia, Hispanoq́; sinu, testante suprema
Europa, & ima, gloriam
Militis occisi: iam defleat Anglia Marte
Et bellicosa, & Pallade
Natum: consumat noctem mærore diurno,
Fletuqué nocturno diem.

THOMAS BARQVERIVS.

S*IDNÆVM* tenui vix ego carmine
Lustro, sol oculis ille meis obest.
Sol, qui dum occiduo tingitur æquore,
Nostræ splendidior conspicitur plagæ:
Nec morte, aut aliqua nocte reconditur.

EST

EST illi toga laus, sumtis huic obuenit armis
Gloria: quæsitum nomen vtrinque tibi.
Est alter studio, genere est præstantior alter:
Magnus vtroque modo, fers vtriusque decus.
Est hic Marte suo, morte est celeberrimus ille:
Marte tibi laus est, gloria morte tibi.
Si magnam pariant hæc per se singula laudem,
Quem simul ornarant omnia, quantus erat?

HVGO BARQVERIVS.

ESSE pium Æneam cogunt incendia Troiæ,
Dulichium fortem sors inimica facit.
Stet Priami regnum, discrimina tollito rerum,
Non erit hic fortis, non erit ille pius.
Tu, pius, incolumi patria, rebusque secundis,
Fortis es: hoc animi est, hoc pietatis opus.
Nolo virum, cuius virtutes tempora produnt,
Sed qui virtutes indicat ipse suas.

IACOBVS HVSEVS.

In Philippi Sidnæi symbolum, VIX EA NOSTRA VOCO.

CVM stirpem referas illustrem, dic Philippe,
Et magnos atauos, conspicuamque domum:
Cùm sint nobilium tibi clara insignia auorum,
Antiquumque genus, VIX EA NOSTRA VOCAS?
Insignis quibus ergo studes insignibus esse?
Vnde tuos titulos, stemmataque vnde trahis?
An studium, mores, pietatem, fortia facta,
Virtutem, & mentis munera, NOSTRA VOCAS?
Quæ tu NOSTRA VOCAS, *ea sunt diuina,* Philippe,
Nec meliora illis dicere NOSTRA *potes.*

SAMSON HVSEVS.

CVM te fata ſuperſtitem
  Reginæ, & thalamis coniugis aureis,
Et caræ patriæ negent:
  Flagrent indomitis bella tumultibus,
Rumpant fœdera principes,
  Et funeſta ruens prælia miſceat
Orbis principibus ſuis.
  Nec motus modici, nec leue prælium
Gliſcens-ué exiguus furor,
  Sidnæum tulerat. parua-né copia
Parmenſem ſequitur ducem,
  Aut paruo geritur ſanguine prælium?
Fatis dira iubentibus
  Cum, *Sidnæe*, volens prælia poſceres,
Quanto fulmineæ impetu
  Concurrère acies, quis gemitus fuit
Duro Marte cadentium?
  Cum vibrata leuis lancea ſtrideret,
Crebros cùm ſonitus darent
  Pulſatæ galeæ, cùm reſonantibus
Verſaret clypeum ictibus
  Enſis cæde rubens; quis fragor exſtitit
Armorum, & facies necis?
  Voluebantur humo fortia corpora,
Atro puluere ſqualida;
  Effuſo maduit Belgica ſanguine.
Illic in medijs furens
  Et cum principibus miſtus Ibericis,
Sidnæus pepulit fugans
  Hiſpanas acies, fortibus intonans
Armis, nunc pede feruidus,
  Nunc ſublimis equo. ter valido ruens
Martem inuaſerat impetu;
  Ter conuerſa fugâ verterat agmina.
Iam victor meruit mori,
  Sed triſtis nuribus victor Ibericis,

Emtus sanguine militum,
Emtus nobilium funeribus ducum.

GVLIELMVS WATSONVS.

OXONIVM plenos nondum tibi soluit honores,
Cùm te spectatæ Principis aula vocat.
Nec tibi maturos Princeps persoluit honores,
Cùm Mars ad bellum te furiale vocat.
Nondum soluerunt partos tibi bella triumphos,
Cùm te victorem mors inopina vocat.
Non tibi quæ voluit viuenti præmia ferre
Princeps defuncto præmia ferre potest.
Non Mars, nō Musæ, Princeps, Academia, Castra,
Iam sat habent lacrymis te decorare suis.

SI vinci virtus armato nescit ab hoste,
Si modò qui causâ sit prior, ille prior:
Tu causa superas, superas virtutibus hostem:
Fortunâ tantùm præstitit ille tibi.

IOANNES HVNTVS.

CEDITE, maiores: veterem noua gloria vicit,
Posteritas priscos exsuperauit auos.
Quam deposcebant te Codre oracula vitam,
Sidnæus *patriæ reddidit, ecce, suæ.*
Æneas humeris patrem post bella ferebat,
Hic, humeris patriam bella per ipsa tulit.
Non ego iam miror-ué senem, laudo-ué Catonem,
Me totum iuuenis detinet iste Cato:
Præcurrens fato fatum, virtutibus annos,
Ante diem felix, mortuus ante diem.

IN quo tanta fuit virtus, constantia tanta,
Tanta fides, tantus relligionis amor:
Demissum cœlo quem credidit Anglia, duro
Tempore flagranti seditione sibi:
Dic quid tam celeri portend[illegible]re nobis?
Ten' rear offenso displicuisse Deo?
Placatum tibi vita Deum sanctissima monstrat:
Iratum nobis mors properata Deum.

RICHARDVS DANIEL.

NON minus est, laudes clarorum æquare parentum,
Quàm genus obscurum nobilitare, decus.
Tu verò illustres illustras laude parentes,
Nobile tu superas nobilitate genus.
Venisti ad summum, iam Gades pone, Philippe:
Vltra virtutes non licet ire tuas.

RARA desertas Arabum latebras
Incolens Phœnix, lacrymisqué thuris
Atque fragranti saturata succo
Suauis amomi,
Defer extremis Arabum colonis
Inclytis clarum meritis *Philippum*,
Audiant syluæ, laceræqué rupes
Nobile nomen.
Aureum Phœbi decus atque cœli
Cycne, cycneas age funde voces,
Tolle *Sidnæum* super alta dulci
Sidera cantu.
Hunc vehas passis Iouis ales alis,
Hunc Ioui, misso Ganymede, porta:
Quem simul cœlo fugiens locaris
Aureaque astra,

Tristis

Tristis ereptum sibi flebit orbis,
Nec tamen flebit superis receptum,
Illius toto rutilabit orbe
Nobile sidus.

IACTAT Roma Numam, Sidnæum *terra Britanna:*
Non erat hic meritis quàm fuit ille minor. "
Quæ Numa præstiterat caræ rex commoda Romæ,
Priuatus patriæ præstitit iste suæ. "
Ille quidem pauper recto gaudebat & æquo,
Hic quamuis diues, iustus & æquus erat. "
Ille bonus, sed priscus erat: laus illius illa est
Temporis: hic, nostro tempore talis erat. "
Ille fuit sapiens ætatem nactus & annos,
Hic, sapiens, ætas cum prohibebat, erat. "
Non satis illius laudari candida vita,
Nec satis istius mors generosa potest. "

HÆRES occiso tibi quis, *Dudlæe, Philippo?*
Quis vé tibi superest, terra Britanna, pater?
An nobis ætas alium dabit vlla *Philippum,*
An tantæ spes est indolis vlla super?
O vtinam tu nunc hæres *Dudleïus* esses,
Virtutisqué hæres terra Britanna tuæ.
Non posset similem *Dudlæus* habere nepotem,
Nec similem posset patria habere patrem.

TALEM Britanni te modò viderant
Sidnæe, *qualem viderat & Tagem*
Thuscus colonus, non senili
Ore, sed ingenio senili.
Talem videbat te modò Belgica,
Qualem decoro vertice viderat
Inter nitentes eminentem
Militis Argolici phalanges

Troianus altum rex Agamemnona:
Qualemqué templo vidit Apollinis
Pulchro virentem flore palmam
Et teneris folijs Vlysses.
Sed qualis hosti visus Iberico es?
Qualis per agros & sata proruit
Sternitqué torrens omne pratum,
Et pecora & stabula ipsa voluit.
Qualisque Pallas Gorgone turbida,
Armisqué cinctus Mars adamantinis
Versans cohortes, atque fusis
Hostibus ingeminans timorem.
Impuné læso quis fuit obuius?
Dextræ quis ictum sustinuit tuæ,
Sæuam retorquentis securim
Et validam quatientis hastam?
Testatur hostis funeribus suis,
Versisqué signis atque obitu ducum,
Virtus Philippi *quanta, quantus*
Fulmineis fuit ipse in armis.

THOMAS BASTARDVS.

FARE age, Amyntiades potior fuerat-né *Philippus,*
An qui *Sidneis* nomina duxit auis?
Scilicet ille manu fusis fit clarus Achiuis,
Hanc solam victo traxit ab hoste notam.
Hic, ipsas arte omnigena superauit Athenas,
Victa nec inuita Pallade Pallas erat.
Siue modis verba aptaret, seu carmina neruis,
Æmulus istius laudis Apollo foret.
Seu terram emensus radio, cœliqué meatus,
Nullum Euclidea nouit in arte parem.
Seu res optaret tractare idiomate Graio,
Isæum iures Andocidem-ué loqui.
Vtra igitur speciosa magis victoria? & vtra
Censeri debent pulchra tropæa magis?

Pallade Mars quanto, quanto Armipotenſqué diſerto,
Atque oleis quanto querna corona minor:
Bellica Amyntiadæ tanto monumenta *Philippi*
Sidnæi docta deteriora toga.

MATTHÆVS DAVISIVS.

PAR ſuperûm titulis diuinus nomen Vlyſſes
Obtinet: ingenio vatis, an ipſe ſuo?
Si virtute ſua duntaxat, magne Philippe
Quod ſuperis certet tu quoque nomen habes.
In te par virtus, maioraqué cætera, per quæ
Virtutis fieret gloria maior, erant.
Illi Palladium fuerat prudentia munus,
Et tibi præcipué Pallas amica fuit.
Sed quæ tu iuuenis noras, prohibentibus annis,
Docta malis illi noſſe ſenecta dedit.
Ille peragrando varias cognouerat vrbes,
Te quoqué in hoc potuit nomine ferre parem.
Sed minor huius honos, quòd tempeſtatibus actus.
Laus tua, quòd tibi vis nulla moueret iter.
Ille aliena quidem non propria bella ſecutus,
Militiaqué fuit publica cauſa tuæ.
Verùm hoc diſſimilem longé tibi reddit Vlyſſem,
In cauſa ſimili non potuiſſe mori.
Vno (ſi omnino ſuperet) ſuperauit Homero,
Laudatore minor, cedere laude neges.
Eſt tamen & qui te dijs exæquare ſupremis
Audeat, & cæci crimina nulla ferat.

SIVE tuis inſtare velim *Sidneïe* geſtis,
Eximium referent fortia facta genus.
Seu genus intuear, ſeries generoſa docebit,
Quàm dignum virtus ſit tua nacta locum.

Quacumque

Quacumque aspicio, diuina præditus aura
Pectoris argueris nobilitate tui.

NATHANAEL HARRISIVS.

VIRGILIVS nostro si fortè resurgeret æuo,
Inquè Britannorum poneret orbe pedem:
Quod sacro moriens olim deuouerat igni,
Iam tandem mendax ignis haberet opus:
Historiamquè tuo Sidneida *nomine dictam*
Conderet, & sancta carmina digna fide.

QVOD sit ab antiquo tantum celebratus *Homero,*
Felicem Macedo rex vocat Æacidem.
O me infelicem, quia tu, diuine *Philippe,*
Felix carminibus non potes esse meis!

NON est limitibus distincta, Philippe, *nec oris,*
Sed velut in multas laus tua secta vias.
Et quasi per totum diffusa perambulat orbem,
Vt mundus de te gestiat ipse loqui.
Nam nec eras Cambris, nec solis notus Hibernis,
Funere qui patris condoluere tui.
Notus es Hispanis, Italisquè potentibus armis,
Sæpe tuum furtim qui petiere latus.
Quid quod Gallorum, Germanorumquè leguntur
Scripta sub auspicijs multa, Philippe, *tuis?*
Denique tota tuum nouit vicina Booti
Nomen, & aduerso terra propinqua polo.
Gueldria sustinuit morientem sola videre,
Gueldria barbarica digna perire manu.
Illa priùs misso melius perijsset ab igne,
Humano rursus non adeunda pede.
Aut potius salsis latuisset mersa sub vndis,
Digna vetus merito perpetuasse chaos.

Terra

Terra suo melius caruisset Ibera Philippo,
Quàm caret infelix terra Britanna suo.

VT matrem sola superas virtute paterna, "
Sic quoq; materna nobilitate patrem.
Sanguine cum patrẽ superes, virtutibus ęques,
AEqualis matri nobilitate tuæ: "
Nil opus est fratri, nil te conferre sorori,
Vxoris fiat mentio sola tuæ. "
Quam tamen vt solo videaris vincere sexu;
Hoc satis vxorem sit superare modo. "

CVI te maiorum liceat præponere, quæris? "
Quem tibi maiorum, lis ea maior erit.

CVM tuus ætherea vescatur spiritus aura,
Corpore qui tanq̃ carcere clausus erat:
Despiciens terras ex alto atque æquora cœlo,
Et quas possedit, quasque reliquit opes:
Patria te quamuis, quamuis Regina reposcat,
Quæ possent superos vota mouere Deos:
Quamuis te repetat *Dudlæus* vterque; tuoque
Quæ fuit extremum nomen in ore, soror:
Quamuis te fratres, quamuis desideret vxor:
Non tamen in terris amplius esse velis.

VT sic Hispani morereris fraude Philippi,
Belgica non tanti Gallia tota fuit.

QVAE tulit à patria, nuptaque recente *Philippum*,
Et quæ præcipitem vexit ad arma ratis:
Quàm nimium ventos habuit scelerata secundos?
Quàm nimium placidas illa secabat aquas?
Tunc vbi vicinus radijs orientibus Eurus,
Natus vbi Hesperio ventus in orbe fuit?
Quique salum nimbis turbat pluuialibus Auster;
Et Boreas, gelido qui ferus axe furit?

Frangere fatalem poteratis in æquore nauem,
  Vt saluum fracta naue rediisset onus.
Aut aliquis magico cohibebat murmure ventos,
  Aut vos cantatæ tum fueratis aquæ.

IOANNES OENVS.

NON ego vos duras audebo dicere, Parcæ,
" *Nec rigidus sæuas exagitabo manus.*
Vos tamen aut lenes si dicam, aut esse benignas,
" *Mentiar, & fidum pectus habere neger.*
Namq; suum terris tantum ostendisse Philippum,
" *Optatosq; orbi corripuisse dies:*
Si non sæuitiam, diramq; tyrannida clamet:
" *Quanto candorem iustitiamq; minus?*

QVAENAM ego *Sidnæi* referam præconia, quæris?
  Tantaque qua deceat laude tropæa cani?
Id vel ab Hispanis & Eoo milite discas,
  Verius id multo Parma referre potest.

QVEM non turmæ equitũ poterant peditum-ve phalanges,
  Pelidem sacra vicit in æde dolus.
Quos, virtute nefas & aperto Marte perire,
  Occidi Fabios quàm leue fraude fuit?
Hinc ego cùm pulchrè latam per vulnera mortem,
  Mæoniaquè agito fata canenda tuba:
Iure quidem ingentes animos & pectora miror:
  Non miror casum Dîe Philippe *tuum.*
Scilicet intrepidè ruit arma per ipsa, nec vmquam
  Simplex nobilitas perfida tela cauet.
Quoquè magis Superos summis virtutibus æquat,
  Angitur humanis hoc minus illa dolis.

ANTI-

ANTIQVAE magna quem stirpis origine Mater,
Quem veteri ornarat nobilitate Pater:
Qua maior, quæris, videare? id nescio: verùm
Hoc scio, virtuti cedere vtramque tuæ.

BENIAMIN HEYDENVS.

GRÆCIA tota luit pœnas, quòd Oïlius vnus
Facturus cædem Palladis æde fuit.
Ergo qui morti dedit ipsam Palladis ædem,
Participes pœnæ quot feret ille suæ?
Hoc scelus admisit, læsit quicunque Philippi
Impius armigeræ membra dicata Deæ.
Vulnere nec credo minus hoc gemuisse Mineruam,
Quàm solet in quercu saucia facta Dryas.

CVM lætus celebrem reliquos virtute minores,
Cur hic muta stupor comprimat ora, rogas?
Parce precor: nam nos aliorum nomina terrent,
At tua nos Gorgon visa stupere facit.
Et meritò, nam quem nulla beat ægide Pallas,
Fas-né Medusæas posse videre comas?

MAVRICIVS MERICCVS.

HECTORA quòd peperit, felix, felicior alta est
Troia, simul quoniam Pulydamanta tulit.
Scilicet ille animis ingentibus arma capessens,
In medios hostes, quà rapit ira, ruit.
Aptior at tumidas multo in præcepsque ruentes
Consilio vires hic inhibere suo.
Sin quis vtrumque simul bino gestabit in vno,
Pulydamasqué animo, viribus Hector erit:

Ille, quis, aut qualis? reticenti parcite: nam me
Cetera mirantem nunc stupor altus habet.
Cum stupeo, credas me te sentire, Philippe,
Hæc mihi virtutis stat nota certa tuæ.

SIDNÆVS titulis vt sit generosus auitis,
Atque atauos superet nobilitate suos:
Vtque etiam immensum (quod carmine crescere nescit)
Vilior imminuat Musa canendo decus:
Attamen illius cum sit res publica nomen,
Sit de communi pars quoque nostra bono.

SOLA fauet Teucris Venus, & Saturnia Graijs,
Cecropijsq; fauet sola Minerua suis.
At te Diuæ omnes ornant, decorantq; superbis
Certatim donis, Iuno, Minerua, Venus.

GVLIELMVS BVTTONVS.

CVM foret incertum, patriæ tu carior esses,
An tua cara magis patria terra tibi:
Bella gerens, quanto patriæ tenearis amore,
Morte tua liquidum clare *Philippe* facis.
Sed non morte tamen vicisse *Philippe* videris,
AEternus quamuis sic tuus exstet amor:
Nam pro te vinci pugna voluisset in illa,
Vt te seruasset patria victa sibi.
Nescio vter vincat, tu-ne, an tua patria, dum te
Patria, tu patriam vincis amore tuam.
Hoc scio; cum vinci pro te tua patria tristis
Optat, amore tui cedit amore sui.

GVLIELMVS BAYLEVS.

VT cœli faciem non æquoris vnio reddit,
Quamuis æquoreis exoriatur aquis:

Sic

Sic, Sidnæe, *licèt tua sit terrena propago:*
Mens magis æternos est imitata Deos.

VITRICVS Augusti structa iunxisse *Philippus*
Belligero Musas dicitur æde Deo.
At quanto melius nostra de gente *Philippus,*
Pectore qui iunxit numen vtrumque suo?
I nunc, & Phrygijs animi præpone columnis
Templa, colis nullos quę bene, Roma, Deos.
Qui superis mauult animi delubra sacrare,
Candida quàm Parijs marmora cæsa iugis:
Ille sibi meruit, superis quem reddit, honorem:
Sed furor est templis altera templa coli.

S*I Mars cum Musis, Musæ cum Pallade, Pallas* "
Cum clypeo potuit fœdus inire suo:
In lingua laurum Sidnæus, *in ægide pacem,* "
In studio Martem, robur in arte gerit.
ROGERVS RAVENSCROFTVS.

FORTIBVS audacem pugnare coëgit Achiuis
Hectora, Pulydamas, opprobrijque timor.
Fertur in aduersos animosus Troas *Achilles,*
Quem tamen in bellum feruor & ira rapit.
Magnus *Alexander,* stimulante cupidine regni,
Impia cum multis gentibus arma gerit.
Bella parat *Crassus* fugientibus horrida Parthis,
Crassus auaricia ductus opumque siti.
Non timor opprobrij *Sidnæum* in bella coëgit,
Gloria cui tanto fœnore parta fuit.
Non inflammatum sæuos furor egit in hostes,
Qui tam mansueto pectore semper erat.
Non quæsiturus modò quem contemserat orbem,
Fortiter inuicta mouerat arma manu.
Sed nec opum armauit cupidum furiosa cupido,
Qui plures habuit quàm cupiebat opes.

Quòd si quis gessit iusto pro principe signa,
Et, si pro patria quis pia bella sua:
Si quem relligio diros acuebat in hostes,
Hoc tu gessisti bella, *Philippe*, modo.

QVEM canit, & merita defendit laude canendum
Plurima militiæ, plurima turba domi:
Anglia quem varia canit & Germania voce,
Dijs similem quem vox omnibus vna facit:
Hunc ego non celebro. nec enim, me iudice, tanta
Nomina mortali sunt referenda sono.
Si nisi summa Ducem celebrare scientia summum
Nulla, licèt biberit totum Helicona, potest:
Quo melior dux nemo fuit, quo nemo poëta,
Solus is è proprio debuit ore cani.

THOMAS ATEIVS.

HECTORE donabat Priamũ prece motus Achilles;
Quod Priamo dederat non tamen Hector erat.
Gueldria (sic nebant Parcæ) nostrum Hectora demsit:
Quod nobis demsit non tamen Hector erat.
Non magni membrorum artus, non ossa, lacerti,
Virtutes nobis Hectoris, Hector erunt.
Indelibatas has nobis liquit, & artes,
In quibus haud vllum ius ferus hostis habet.
Sancta licèt paruo condantur membra sepulchro,
Nulla teget laudes vrna, *Philippe*, tuas.

MVCIVS intrabat Porsennæ castra, paratus
Vel patriæ auxilium, vel sibi ferre necem.
Dum struit insidias, captus: mors, pœna paratur:
Nec leue mortis iter, quod graue crimen habet.
Ille manum intrepidè crepitantem iniecit in ignem,
Constanti & tales reddidit ore sonos:
Discite, Romano quæ vis, gentiquè togatæ,
Mille dabit tales patria nostra duces.

Territus exſurgit Rex: pax eſt facta: tyrannum
Quem non Roma poteſt, dextra cremata fugat.
Fortior hoc multò Sidneïus: *ille per aſtum,*
Hic, per virtutem quod tulit, omne tulit.
Ille vnum, hic latos ſternebat mille per agros:
Pro patria hic vitam perdidit, ille manum.

EXSTINCTVM veteres fama eſt fleuiſſe Quirites ”
Annibalem; quamuis perfidus hoſtis erat.
Non flebant, quoniam patriæ fax dira remota eſt: ”
Interitu tanti perdoluere ducis.
Nunc, tibi ſiqua manet priſcæ virtutis imago,
Inclyta belligeri Roma propago Dei: ”
Quos illi dederas, redde huic in funere fletus:
Dignus obit lacrymis Annibal iſte tuis. ”
Quamlibet infeſto virtus laudatur in hoſte:
Roma tuus (dubitas?) Annibal hoſtis erat. ”

QVIS diuine tuam ponet, Sidnæe, *figuram?* ”
Quis dotes animi pinxerit arte tui?
Aut nemo, aut faciem ſolus depinget Apelles: ”
Aut nemo, aut præco laudis Homerus erit.
Quis totam pinget vultuſquè animiquè figuram?
Has certè ad formas vix ſatis vnus erit. ”
Pingere Mæonides, aut pangere diſcat Apelles:
Sic forſan qui te pinxerit vnus erit. ,

CAROLVS RIVIVS.

HAVD procul à Tropico Cancri, celeberrima ſpectat
Orphica conſpicuum qua lyra parte polum;
Stella micat radijs: olim mutatus in illam
(Si fas eſt famæ credere) cygnus erat.
Ergò ne cognati memores in funere honoris
Nunc quoque Strymoniæ dulce queruntur aues?

Dulce

Dulce canis cygne? An, verso in contraria fato,
Tristia lugubri funera voce doles?
Incipe fatales mecum, cygne, incipe cantus,
Quos tibi siue dolor, gaudia siue mouent.
Funera cygneo nam si sunt carmine flenda,
Quid ni Sidnæi *funera, cygne, fleas?*
Sin tua iucundis magis apta est Musa Camœnis,
Incolit, en, cœli sidera, dulcè cane.

„ EST, vbi eoos Arabas resurgens
„ Phœbus aspectat radijs, volucris
„ Nobilis, multis diuturna sæclis
Nomine Phœnix.
„ Vnus hic toto licet orbe viuat,
Atque sint certæ stata fata vitæ:
„ Hic tamen toto viget vnus orbe
Prole perenni.
Scilicet mors, quæ rapit hunc, futurum
„ Gignit, exusti rogus, est sequentis
„ Vita, sic semper moriendo Phœnix
Viuere discit.
„ Sorte fæcunda nimis ò beate,
Cui decus Diui tribuunt perenne,
„ Cuius haud Phœnix moriens amœnas
Deserit oras.
Noster (heu) fato perijt cruento
„ Anglicus Phœnix, nec adhuc dat ætas
„ Hæc nouum nobis, similem-vé posthac
Vlla datura est.

DVM scrutata sua est Natura æraria nuper,
Hæc, inter reliquas inueniebat opes.
Mellitum primò genus & sublime loquendi,
Romanum quondam quod Ciceronis erat.
Huic vicina stetit fœcunda in carmine vena,
Quæ seruata tuos fugit, Homere, rogos.

Proxima

Proxima multarum diuina scientia rerum,
Rapta ab Aristotelis funere, gemma fuit.
Hisq; vigor comes est, animique & corporis ingens,
De Phrygio spolium hoc fata tulere duce.
Ista parens rerum fixo dum lumine lustrat,
Et stat diuitijs exanimata suis:
Quàm bene conuenient hæc quatuor, inquit, in vno!
Munera cur vsus tam bona nullus habet?
Dixerat, & nunquam satis exsaturata videndo,
Dum sua diuersa lumina parte iacit,
Aspicit eximio corpus mortale decore,
Fama refert, olim Cycne fuisse tuum.
Quod simul ac visum est, Hîc, hîc, inuenimus, inquit:
Materia est gemmis apta reperta meis.
Sic effata, isto gemmas componit in auro,
Atque opus egregia perpolit arte nouum.
Additus huic operi est diuinæ spiritus auræ,
Inq; nouo dubius corpore motus erat.
Cum veneranda parens, Viue Illustrissime, dixit
Sidnæe, *& referens sidera nomen habe.*
Protinus ille caput sublime ad sidera tollens,
Splendidior toto sol nouus orbe micat.
Quem Natura parens auido dum lumine spectat,
Concipiens animo gaudia plena suo:
Ipsaq; se mirata, sui quasi nescia, factum
Pigmaleoneo more tuetur opus.
Nil adeo deerat: solam violenta senectam
Vnica Naturæ Mors inimica negat.
Illa diu tremefacta stetit: tum, Proh dolor, inquit,
Conatus noster semper inanis erit?
Ergo satis non sunt ventri tot millia vasto,
Delicias rapias quin furiosa meas?
Sic effata, oculosq; rotans irata, Age posthac
Egregium faciat, qui volet, inquit, opus.
Tu verò dediscе manus quas noueris artes,
Nec simile in quamuis sis opus ausa diem.

Sic cum Sidnæo *perfecti siquid in orbe*
Est, fuit, aut ætas post dabit vlla, perit.

QVID tibi vis, pictor, quòd Mortem lumine captam
Exprimis, & cæcam cæcior ipse, facis?
Ah nimium vidit, *Sidnæum* quando tot inter
Millia fatali fixit acerba manu.
Quid dixi? Viditné nimis? Mihi lingua labascit:
Illa quidem, fateor, lumine capta suo est.
Nam si vidisset vel iniquo lumine fletus,
Funere commotos, magne *Philippe*, tuo:
Credo equidem aut Stygijs redijsses viuus ab vmbris;
Aut pro te nollet Mors renuisse mori.

DVM pulchram Veneris faciem pingebat Apelles,
Docta manus medium destituebat opus.
At si quis, Sidnæe, *suo te carmine pinget,*
Destituet primos ars stupefacta modos.

HENRICVS BELLINGAMVS.

QVID sto? Quid meditor, breues daturus
Sidnæo numeros? Quid obticere
Pergo? Commemorem, licet vel vllam
Rem saltem egregiam. Nihil decorum
De tanto poterit viro referri
Quod non iure suo suum esse dicat.
Sidnæe, hæc tua laus, & illa, & omnis,
Quam docti melius canant poëtæ.
Guttas de pelago tuo minutas
Depromsisse mihi sat esse credo.

SOLEM quis esse mundo,
Probat quis esse lumen?
Quod confitentur omnes,
Satis referre tantum.

Laudare

Laudare nolo multis,
Quem prædicant tot Angli,
Galli, Italiq́;, tuq́;
Germane, tuque Belga,
Aduerso & ipse quamuis
Hispane, Marte pugnes.

NVPER ô hominum decus,
Nunc polo decus additum;
Gratulamur inanibus
En tibi vnanimes modis,
Inclyta nece viuo;
Forsan & Superis pari.
Namq́ue terricolas eras
Inter optimus optimos,
Et parem meritis, pari
Dij locant in honore.

ICTVS à Zephyro cadis
Dum placet Clarij magis
Ars & ingenium Dei,
Sic, vt in viridi tamen
Flore stes Hyacinthe.
Sic, Philippe, *truci iaces*
Marte, dum tibi Cynthius
Plus & Aonides placent.
Fama perpetuo tamen
Pulcra flore virescit.

QVALIS Maroni maximo vati fuit,
Et, Flacce, Mæcenas, tibi:
Nuper superstes plurimis talem vnicus
Sese *Philippus* præstitit.
Vtinam vicissim nos, duo quales erant,
Essemus omnes carmine:
Atque, vt Camœnæ viuus auspicio tuæ
Est, Flacce, Mæcenas tuus:

Sic tale versu nomen, & longè amplius
Philippe, nostro quæreres.

SIDNAEE, *hæc fieri quidem,*
Quo dicam fieri non video modo.
Spreta est sic tibi gloria,
Vt sit perpetuò facta tibi comes.
Mortis vulnere sic cadis,
Vt te nemo neget viuere plenius.
Sic nos denique deseris,
Vt cuiusque magis pectore inhæreas.

ET prodest, & obest (licèt repugnent
Isthæc) qui fueris, *Philippe*, scire.
Prodest, qui fueris fruendo nosse,
At scire innumeris obest carendo.

MARS *vt missilibus dispersis vndique telis*
Sidnæi *sensit saucia membra sui:*
Imprudens (dixit) quid feci? Præstitit illum
Seruatum castris præposuisse meis.

" FINGERE laus quia falsa potest, *Sidnae*, legentes
Dicenda perpendant duo:
" Non quàm laudatus sis, sed laudabilis, & quot
" Te laude laudati efferant.

CVM constitutum Dij Deæq; venissent
" *Olim frequentes in locum, Iouis nutu:*
De munerando te, Philippe, *decretum est.*
" *Minerua primò dona mentis adiecit,*
Docilemq; ad artes optimas voluntatem.
" *Tum doctus artes Phœbus & nouenarum*
Chorus sororum contulit: dehinc fecit
" *Mars nec timentem prælio, nec imbellem.*

Hymenae

Hymenææ faustas nuptias, opes Plute "
Amplas dedisti: cetera ex Iouis dono
Data sunt abundé qualibet. sed absentes "
Parcæ negarunt inuidæ dare ætatem. "

QVI satis Anglorum mores spectauit & vrbes;
Qui fœcunda tuas cognouit Gallia gentes;
Et circumfusi transgressus flumina Rheni
Teutonicos conspexit agros, vrbesque, domosque;
Danubiumque Albimque; vnaque augusta Viennę
Mœnia in aduersos plenæ multo aggere Turcas:
Vt peregrinatur iam nunc, cum lucida scandat
Astra quoque, & cœli regiones vndique lustret?

QVAMVIS cruentum sanguine Troico
Vates Achillem Mæonius canit:
Virtute quamuis bellicosa
Sysiphiden celebrat carentem.
Illum, quòd armis horridior fuit,
Hunc, quòd dolosa fraude potentior:
Illum, quòd audax & timendus,
Hunc animo quòd erat sagaci.
Nos te, quòd instar sis Ithaci ducis,
Instarq; Achillis cedere nescij,
Conamur inculto, Philippe,
Atq; humili celebrare versu.
Nec vis in armis, nec sapientia
Vitam colenti maxima defuit:
Sed temperata pulchrè vtraq;
Non, vt in Æacide aut Vlysse.

NEC mirum, si te rapiant fata inuida terris;
Et fortunatum dent super astra locum.
Scilicet humanum genus illis viuere par est
Sedibus, his magnos conuenit esse Deos.

CRETA Ioui tumulum posuit, quasi mortuus esset,
Rex licèt æternus, sit licèt ille Deus.
Sic quasi defuncto Sidnæo *epicedia plangunt,*
Viuus apud superos sit licèt ille Deos.

NON tibi sed patriæ vixisse, *Philippe*, videris:
Nec tibi, nec patriæ, sed cecidisse Deo.

LARGIRI solitus tot opes, tot præmia Musis,
Debueras animæ parcior esse tuæ.

In Philippi Sidnæi symbolum,
VIX EA NOSTRA VOCO, [illegible]

VIx Ea Nostra Voco, quę nos non fecimus ipsi:
Hinc propero factis ad mea fata meis.

RES grandes tenui cur epigrammate,
Et longas breuibus diminuo modis?
Cur hîc non potius nascitur Ilias?
Istis ô ego quàm non placeo mihi!
At tu, quisquis in hæc fers oculos, precor
Ignoscas: inopem copia me facit.

SIDNAEVS qualis fuerit, te, candide lector,
Carminibus nolim discere velle meis.
Transeo multa memor: plura immemor: omnia verè
Transeo, quæ tanto sint tribuenda viro.

RICHARDVS BVCHERVS.

FINIS:

Pag. 29. lin. 11. *lege* pratâ. & pag. 36. lin. penult.
Quo simul cœlum fugiens bearis.